



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**In Vaticinia Isaiae, Prophetæ Clarissimi, Paraphrasis,
Heroico carmine conscripta**

Carpenteius, Joannes

Antverpiæ, 1588

In Io. Carpentæii Esaiam Anagrammatismus: Ioannes Carpentæivs O
Perenni Cantv Esaias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68688)

IN IO. CARPENTÆII
ESAIAM.

Anagrammatismus:

IOANNES CARPENTÆIVS.

O PERENNI CANTV ESAIAS.

INTER Poetas, nostra quos ætas tulit
Facunda Musarum parens,
Canenda multi humana sumpserunt
sibi.

Per docta quorum carmina,
Si pura, laudo; impura si sint, execror.

Divina sed qui deligunt
Sibi canenda, illis corona auctore me

Donanda prima, & prima laus.
Nec blandiens hæc auribus dono tuis,

O docte Carpentæie:
Movere sed me pauca, quæ legi tua

Ex Esaicis cantica:
Qua tamque docto, tamque suavi pectine

Chelym ad Latinam personas;
Possit videri ut factus Esaias Maro:

Maro Esaias vel novus.
Afflatus ille Pythio non spiritu

Vates, sed ipsius Dei,

Quæ

Qui per Prophetas dira praedixit suos
 Ventura in impios mala,
 Reges sacerdotisque, ut Israel suum
 Purgaret à piaculis.

Sed illa qua certissimis euentibus
 Probata ad unum cuncta sunt,
 Non tantum ad illa pertinebant tempora:
 Ad nostra pertinent magis.

Si Christianus populus, & Reges sui
 Praecepta non seruent Dei:
 Futurum in hoc, in posteròque saeculo, ut
 Paenas luant grauissimas.

At tu recantas tale qui uatis melos
 Sionij Latia lyra:

Vives in annos cantibus longos tuis,
 Dignus perenni gloria.

Tua uersa quod praesagierunt nomina:

CANTV O PERENNI ESAIAS.

I. AVRATVS POETA
 & Interpres Regius.

D